Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 73
Quelle:
Copyright:

LIII. et LVII. Sequuntur ordine suo reliqui *Prophetae* majores et minores cum Libris *Machabaeorum*, dein IV. *Evangelia*, Epistolae *Paulinae*, *Canonicae*, *Actus Apostolorum*, et *Apocalypsis*. Liber quivis litera initiali cubitali picturata ornatur. Inter *Epistolam ad Coloss.* et *ad Thessalonic.* interjecta est spuria *ad Laodicenses*. I. *Joh.* 5. testimonium triplex sic quidem a prima manu scriptum est: *Quia et tres sunt qui testimonium dant in terra spiritus aqua et sanguis. Et tres sunt qui testimonium dant in celo Pater et verbum et spiritus sanctus. Et hij tres vnum sunt*; sed notatur ita legendum: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in celo Pater et verbum et spiritus sanctus. Et hij tres vnum sunt. et tres sunt qui testimonium dant in terra spiritus aqua et sanguis.* Praeterea omnes Libri instructi sunt Prologis *Hieronymi*, et Argumentis illis, quae illis in *Bibliis glossatis* praefiguntur; verum quaedam ante *Prophetas minores* tantum primis vocibus indicata sunt, quod ea Librarius vel ad manum non habuit, vel relicto spatio in aliud tempus distulit, quo exclusus est.

LIII.

U. 56 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 153. 4. nitide exaratus et rubricis distinctus quosdam Libros *Biblicos* complectitur, quorum Index Sec. XV. scriptus *fol.* 1. hic est: *Isaias*, XII. *Prophetae* minores, *Salomonis Parabolae*, *Ecclesiastes*, *Cantica*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *Epistolae Pauli*, *VII. Canonicae*, et *Job.* Lectio vulgata est. Praemittuntur passim Prologi *Hieronymi*, aut Summaria illa in Bibliis *glossatis* obvia. Inter *Epist. ad Coloss.* et I. *ad Timoth.* intercedit spuria ad *Laodicenses*. I. *Joh.* c. 5. Testimonium triplex ita comparatum est: *quia tres sunt qui testimonium dant in celo pater uerbum et spiritus sanctus. et hii tres unum sunt. et tres sunt qui testimonium dant in terra. spiritus aqua et sanguis.* In posteriore theca possessor quidam annum 1476. notavit; anterius vero eodem Seculo adscriptum est ingeniosum *de baculo pastorali* Distichon, quod repraesento:

Adtrahe per primum (summum?) *medio rege, punge per imum,*
Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

LIV.

R. 3173 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 121. f. per duas, tresve columnas luculente, probeque exaratus, coloribusque illustratus est *Liber Job*, *Glossa* utraque et ad latera, et inter lineas stipatus, prout in Bibliis glossatis habetur, praemissis etiam solitis Praefationibus et Argumentis. Quare post C. XL. V. 13. manum